Singulis proprij assistunt Genij.

AT quid opus Genijs? Genius sua nupta marito:
Lasciuo meretrix: Blanda puella proco.
Assistunt hi tres Genij mensisq; thorisq; ;
Quid Vir luce gerat, fœmina nocte iubet.
Nummus auarorum Genius: nova læna Superbi:
Grata colit Ganeo ferc'la: Cachinno iocos.
Arca ara est Nummo: Delubrum lumina Lænæ.
Ora soluta, Iocis: atq; palata, Gulæ.
Græculus at Genius (quia pergræcantibus) vnus
Fortior his cunctis, Amphora plena mero.
Audax in facie Templum sibi struxit, opimis
Ornatum gemmis: absq; pudore, rubet.
Fumigerum huic Genium videas astare Tobacci:
Vt quas vda ferunt pocula siccet aquas.
At quid opus Genijs hominum quos fabricat error?
Ingenium Cœli dant, Geniumq; viris.
Hoc sumus: Illo agimus: Creat hoc: Regit ille: virisq;
Hoc author vitæ est: Dux, comes ille viæ.

Ergo,

Ingenio, Genio debemus nostraq;, nosq;:
Viuitur ingenio: Viuitur & Genio.

Meteor-astrum non arguit Mundi interitum.

VEl tèr [a] virgo procans, vel facta *Vrania* coniux,
Stella ornans solium [b], colla [c], pedemq; [d] nouâ.
Aut factura procos; aut allectura maritos;
Fert virgo has dotes, vel noua Nupta faces.
[e] Hungaricum solio: colloq; ambiuit [f] Iberum:
Et te stellato (Magne Britanne [g]) pede.
(Iuste *Iacobe*) tibi fauet æqua *Vrania*: teq;
Iustitię sidus sidere teste probat.
Signa vigescentis Mundi hæc sunt; non perituri:
Deperit ecce viros: hoc pereuntis erit?
Sunt forsan stellæ proles: *Vrania* mater
Quæ modo tèr peperit, num peritura statim est?
Si peritura, olim periisset: Sidera priscis
Hipparcho [h], & *Plinio* [i] bina fuêre noua.
Olim bis peperit, partum mors nulla sequuta est:
Nunc, quia tèr peperit, mox morietur anus?
Credo pius: Physicus nego: Nam noua sidera, causæ
Interitus non sunt; signa nec esse reor.

Ergo,

Desine (Munde minor) Maiori fata minari:
Ac potiùs fati sis memor vsq; tui.

[a] Ab an. 1572. tres fuerunt nouæ stellæ.
[b] Cassiopeiæ 1572.
[c] Cygni. 1599.
[d] Sagittarii 1604.
[e] An. 1572. Rodolphus iam Imper. Rex Hungariæ factus.
[f] 1598. Philip. 3. Hispaniæ.
[g] Iacobus totius Britanniæ, initio an. 1604.
[h] An. ante Chr. circit. 130. Plin. 2. 25.
[i] Plin. l. 2. cap. 26. χρισογονίας prænunc. Morn. de ver. relig. cap. 24. & Delacamp. in Pl.